

473.

1261 d. 20 Jul.

BIRGER JARLS Privilegier för Handlande från Hamburg.

K. i. 2: 49.

Byrgerus Dei gratia Dux Sveorum viris providis Advocato, consilio & communi Hamburgensi salutem in Virginis filio Jesu Christo. Veniens ad nos nuncius ac Civis vester Dominus Jordanus, Vir providus & discretus, ex parte vestra petivit a nobis, ut cives vestros, ad partes nostras cum mercibus suis venientes, facere deberemus eodem pacis ac emunitatis, quantum ad teloneum non solvendum, gaudere privilegio, qvod apud nos habent & habuerunt hactenus Lubecenses. Super qvo vobis taliter respondemus, qvod pacem, libertatem ac emunitatem de non solvendo teloneo, qvo nostrates in munitionibus vestris gaudere permittitur, eandem hominibus, cum mercibus suis ad partes nostras de vestra civitate venientibus, ex parte nostra promittimus vice versa: Ita duntaxat, qvod Gubernator navis sub fide sua nominet eos, qvos vestræ civitatis cives novit, cæteris suis nautis ab eis separatis, coram Advocato loci, ad qvem declinaverit, esse veraciter cives vestros. Quantum tamen ad prædicta, scire debetis, qvod si naufragii damnum aliquem apud nos de vestris contingat incurrire, qvilibet in naufragio constitutus sine calunnia possidebit illud qvod de rebus suis extrahere poterit & juvare. Præterea si qvem extraneum apud nos mori contingat, qvi non habeat legitimum successorem, omnes res, quas possidet, redigi debent in scriptura, & sub fideli custodia Sacerdotis, exactoris Regii, ac Melioris, ac majorum de civitate seu loco illo, in qvo mortuus est, cum testimonio bono deponi. Et si postmodum infra diem & annum legitimus hæres advenit, literas civitatis de qva est, ac illius Domini, qvi præest civitati, secum deferens, per qvas constare possit, qvod sit hæres, res prædictas integraliter obtinebit. Qvod si forsitan infra terminum memoratum nullus venerit, qvi sit hæres, ex hoc statim elapso secundum leges patriæ devolventur ad fiscum Regium res prædictæ. Item si qvis pecuniam seu merces suas ad partes nostras cum alio destinaverit, & ille, cum qvo transmittuntur, tale qvid commiserit, qvod pœna corporali, vel etiam pecuniaria sit merito puniendus, in hoc casu petivit a nobis idem civis ac nuncius vester, ut salva sibi pecunia sua, qvi secum aliquam destinavit, ille solummodo, qui deliqverit, puniatur in rebus suis propriis, vel etiam corporaliter, si tantus fuerit ipsius temeritatis excessus. Et in hoc petitionem suam, utpote multum rationabilem merito censuimus admittendam, cum peccata suos tantum tenere debeant auctores, nec in tali casu sine culpa sua de jure sit aliquis puniendus. Ut igitur omnia præmissa robur obtineant firmitatis, præsentem paginam sigilli nostri munimine fecimus roborari. Datum apud Therno præsentibus ve-

nerabilibus Dominis Laurentio Upsalensi Archiepiscopo, Henrico Lincopensi Episcopo, Karulo Arusiensi, Axero Wexionensi, Rangwaldo Finlandensi ac cæteris qvamplurimis nobilibus nostri Regni. Anno Domini M°.CC°.LXI. XIII. Kal. Augsti.

474.

1261 d. 11 Aug.

Askaby.

Bisk. HENRICS i Linköping stadsfästelse på anslaget af Hägerstads sockens Biskopstionde till ett Kanikedöme.

B. 3: 137. \*)

Vniuersis christi fidelibus presens scriptum cernentibus H diuina miseratione episcopus lyncensis. <sup>1)</sup> salutem jn domino sempiternam. Quia pro certo didiscimus <sup>2)</sup> venerabilem patrem dominum. L. predecessorum nostrum decimam episcopalem de parrochia hæghirstadha jn kind <sup>5)</sup> redditibus canonie, quam reuerendus vir felicis recordacionis benedictus quondam episcopus lincensis numerum canonicorum augere cupiens jbidem fundauerat, jn eaque dominum karolum jnibi canonicum jnstituerat adiunxisse <sup>3)</sup> perpetuo possidendum sicut in suis litteris plenius apparebit <sup>4)</sup>, nos factum eius in hac parte ratum jn omnibus <sup>5)</sup> & gratum habentes, donacionem memorate decime auctoritate qua diuina permissione fungimur confirmamus. Jn cuius rei testimonium <sup>6)</sup> presentes sigilli nostri patrocinio fecimus roborari Datum askaby Anno dominj M°CC°LX primo jn crastino beati laurencii.

475.

1261 d. 20 Nov.

Rom.

Påfv. URBANUS IV:s tillstånd att under de korta vinterdagarna förrätta mässa och annan guds-tjenst i Linköpings Domkyrka vid ljussken.

B. 3: 27.

Urbanus episcopus seruus seruorum dei ad perpetuam rei memoriam Piis fidelium uotis presertim hiis per que fideles ipsi diuinis officiis magis intenti existant libenter annuimus illaque prosequimur fauoribus opportunis Cum itaque sicut exhibita nobis pro parte venerabilis fratris nostri Nicolai lincensis episcopi peticio continebat. quod in Regno swecie jn quo lincensis ecclesia situata consistit pro magna parte cuiuslibet anni sint dies adeo breues videlicet a principio mensis octobris usque ad finem mensis

<sup>\*)</sup> En annan utskrift af samma bref finnes B. 3: 138. med följande olikheter: 1) Vniuersis presentes litteras Jnspecturis He. dei gracia Lyncensis antistes &c. 2) Quia venerabilem &c. 3) invenimus annexisse 4) de premissis tillsätttes 5) uteslutes 6) Ad horum igitur evidenciam pleniorum presentes &c.